



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Constantinus scribit ad Synodum, ne Eusebium Caesaria auellant. Cap. LX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

liget, me cum iustitia ipsa illis contradicere videret, diuina quadam impulsione ad eos rescripsisse. Quorū concilio tuam interesse prudentiā opus est, vt hoc quicquid sit negocii, in Antiochena ecclesia, recta ratione transigatur. Deus te, frater charissime conferuet.

Victor Constantinus Max. Aug. Theodoto, Theodoro, Narcisso, Aetio, Alpheo, & cæteris episcopis, qui sunt Antiochiæ S.

Constantinus scribit ad Synodum, ne Eusebium Cæsaria auellant. CAP. LX.

Literas à vestra prudentia ad me scriptas perlegi, & prudens Eusebii collegæ vestri institutum ac sententiam in eisdem à vobis declaratam admodū approbavi, quæq; gerebantur omnia, partim ex vestris, partim ex Acacii, & Strategii clarissimorum comitum epistolis cognoui. Ac cum rationem accuratè mecū iniuissem, ad populum Antiochenum, quid Deo acceptum, quidq; ecclesiæ consentaneum foret, epistola scripsi: cuius exemplar his literis subiungendum præcepi: vti vos intelligatis, quid tandem ipse iuris æquitatisq; causa adductus, ad populum Antiochenum scripserim. Ac quum literæ vestræ hoc complectebantur, vt cum populi tū vestro prudenti consilio & instiruto, Eusebius, sanctissimus Cæsariensis ecclesiæ episcopus, Antiochenæ præfideret ecclesiæ, eiusque curam susciperet, oportebat & Eusebij literas, quæ decretum ecclesiæ maxime obseruare videbatur, & meam simul sententiam vestræ prudentiæ ostendere. Et quoniam Euphronius presbyter ex vrbe Cæsaria Capadociæ ortus, & Georgius Arethusiorum itidem presbyter (quem Alexāder ad presbyterii ordinē Alexandriæ euexerat) viri propter fidei integritatem planè spectatissimi, ad me forte fortuna venerunt, idcirco relictum videbatur, vt non solum hos, qui sunt ad episcopatum petendum designati, sed alios etiam, quos vos ipsi ad episcopatus honorem capeendum dignos iudicaueritis vestræ prudentiæ significare, vti decernatis ea, quæ cum apostolorum traditione penitus consentiant. Quibus hominibus vobis iam oportune & commodè suppeditatis,

ditatis,

EVSEBII DE VITA

ditatis, vestra prudentia ex ecclesie canone & traditio-
ne apostolica ita vestram poterit electionem moderari,
vti ecclesiastica disciplina ratio prescribit. Deus vos
fratres, chari diu seruet incolumes. Ista cum imperator
ecclesiarum presidibus precipisset, hortatus est, vt om-
nia ad laudem diuini verbi illustrandam exequerentur.

Quomodo studuerit hereses extirpare.

CAP. LXI.

Mat. 7.

Postquam ecclesiam Dei, sublatis e medio discordiis,
in tranquillo statu collocauerat, inde digressus, aliud
impiorum hominum genus, tanquam latens venenu,
humanae vitae paratum, comprimendum censuit. Isti cor-
ruptores quidam erant, qui honestatis specie & simula-
tione ciuitates labefactabant. Eos vero pseudoprophetas,
& lupos rapaces seruatoris vox diuinitus varicinando
nuncupauit ad hunc modum: Attendite a pseudopro-
phetis, qui venient ad vos in vestimentis ouium, intus
autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum, cognosce-
tis eos. Edictum igitur Imperatoris, quod ad prouin-
ciarum praefectos missum fuit, vniuersum illud homi-
num genus grauitate infectatum est. Et praeter ipsum edi-
ctum, imperator etiam salutarem admonitione illis ipsis
proposuit, hortatus admodum, vt mature respicerent.
Nam asseruit illos ecclesiam Dei salutis portum habere,
quo se reciperent. Attende ergo quo pacto per literas
cum illis sermonem contulerit.

Victor Constantinus Max. Aug. Hereticis.

Constantini contra hereticos edictum.

CAP. LXII.

*Arrianos no
comincentis
idcoqz author
eius de sectis
no fuisse*

Cognoscite iam per legem hanc, quae a me sancita
Cest, o Nouatiani, Valentiniani, Marcionista, Paulia-
ni, quiq; Cataphrigum nomen usurpatis, & omnes
omnino, qui per conspirationes a vobis constatas, ha-
ereses & sectas etiam atque etiam augere conamini,
cognos-